

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Zelandia comitatus

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Zelandiæ Comitatus.

326

*Regio.
Unde dicta.*

Zelandia nihil aliud sonat quam terram ac solum maritimum, a terra ac mari conflatum nomen. Mari enim undique cingitur. Hanc veteribus non fuisse incognitam ex Tacito colligit Lemnius, non hoc quo nunc innotescit nomine, sed ex usu ac vulgata alloquendi consuetudine ac compellatione, nempe *Mæt*, qua populares & indigenæ inter se sunt usi. *Mætiacorum* enim illos nomine designat, cum inquit, *Est in eodem obsequio Mætiacorum gens Batavis similis, nisi quod ipsi terra sua solo ac calvo acris armantur.* Zelandiæ nomen accepit a Danis & Nortmannis, qui ex illa Insula Cimbrica quæ in Dania Zelandiæ nomine inscripta est, profecti ad novas terras querendas, quum gravi Indigenarum multitudine laborarent, Britannæ ac Galliæ oras invaserunt, ac Walachriam vicinasque Insulas a patrio solo Zelandiam vocaverunt. Harum Insularum situs est inter Mosæ & Scaldis fluminum ostia, a Septentrione Hollandiam, ab Oriente Brabantiam, versus Meridiem Flandriam vicinas habent regiones, ab Occidente mare Germanicum respiciunt. Aëris clementia desituitur Zelandia, qui in nonnullis partibus paullo asperior est, & quam vicinarum gentium minus salubris, præsertim æstate ob paludum & stagnorum graves halitus, & quod regio arboribus minus confita. Hoc tamen habet commodi, quod contagioni ac pestiferis morbis minus sit obnoxius ac serius inficiatur: at infectus immaniter in hominum corpora grassatur, nec facile conquiescit.

Situs.


Aëris qualitas.

Soli fertilitas.

Animalium varietas.

Imperium majorum.

Magna vero hic foli ubertas, pingues ac glutinosæ glebæ, feraces, ac fecundi agri Tritico quo nusquam gentium candidius aut magis ponderosum, aliisque frugibus: Coriandro item & Rubia vulgo *Medeco* appè nominata, adornandis pannis, ne color deflorescat, cunq̃ue intime concipiant necessaria: ut insignes atque in immensum fastigiatas Lauros perpolitâ maturitate baccis onustas: ut efficaces & salubres Herbas, cum mendendis morbis, tum esui accommodas sileam. Vberissima etiam hic saginando pecori pascua, non solum intra exporrectos aggeres ac ambitus, sed etiam extra littora, in ipsa Oceani crepidine, in quibus oberrant Pecudum aliquot myriades maximo negotiatorum emolumento, quæstuque uberrimo, non solum supra vulgarem magnitudinem, sed saporis etiam delicati atque exquisiti, soli ac graminum beneficio, quod saluberrimum iis pabulû suppeditat, adeo ut exteri quoq̃ summopere iis delectentur. Anno autè Domini 1000. imperante Carolo Calvo apud Batavos illisque affines Zelandos, principatus primum constitui cœpit, ac Comitatus nomine designari, primusq̃ue Comitatus nomine inauguratus *Theodoricus* Filius Sigisberti Principis Aquitaniæ, qui annos octo & triginta in eo dominatu versatus, successorem *Theodoricum* secundum herilem Filium constituit, a quo ad nostra usque tempora hæc Regia potestas longa heroum serie ad Hispaniarum regem Philippum devoluta Comitatus nomine censetur. Insulæ Zelandicæ numero septem sunt, tres ultra Scaldis ostia, Bataviam & Orientem versus quæ propterea dicuntur Orientales, *Scaldia*, *Duvelandia*, & *Tolen*. Quatuor cis Scaldim, Occidentem versus, *Walachnia*, *Zijtbevelandia*, *Nortbevelandia*, & *Wolferapke*.
Omnium



Urbes.

Omnium ultra Scaldim Insularum maxima & prima est *Scaldia*, Indigenæ vocant *Lands van Schouwen*, cuius ambitus nunc est septem mill. olim tamen major fuit, ac tantum exiguo freto distincta a *Norbevelandia*. Urbes in ea primariæ sunt *Zwijkea* & *Brouwershavina*. *Zwijkea* omnium Zelandicarum urbium creditur esse antiquissima, circa annum 1300 exstructa a quodam Siringue: nobilis diu fuit mercatu omnium rerum, propter celebrem Portum, frequentiamque aduenarum: sed obstructo arenis Portu multum de antiqua gloria remisit: spes est tamen, eam novo portu effosso paulatim vetus nomen recuperaturâ. In hac urbenatus est vixitque *Levinus Lemnius* doctrina & arte medica clarus. *Brouwershavina* piscatores incolunt, & qui mari victitant. Secunda Insula Scaldia est *Duvelandia*, a Columbarum frequentia sic denominata, patetque eius Circuitus mill. pass. quatuor. In hac tantum pagi sunt & vici, urbs nulla. Anno 1300 Oceaniflutibus obruta fuit, cum magna Mortaliû iactura, sed aggeribus confirmatis exclusoque mari, haud multa post facile illud damnum compensatum est. Tertia Insula est *Tolen*, Brabantia contermina, exiguo tantum freto discreta, in qua consistit *Tolesum* a vestigali & portorii (Belgis *Tollen*) ita appellatum, vetustum Opidulum: a quo non procul abest *Martinianus agger*, vulgo *S. Martens Dyck*, locus amœnus atque arboribus undique constitus, in quibus maxima alitum, præsertim Ardeatum copia nidificat. Cis Scaldim ad Occidentem (Indigenæ vocant *Bewester Schelt*) primaria Insula est *Walachria*, vel ad ejus cultore denominata, aut a Wallis vel Gallis. Insula hæc ab Ortu Brabantia obversa est, a Meridie Flandria, ab Aquilone Batavia, ab Occasu æquinoctiali Britannia. Hæc totius Zelandia Caput, situ, opibus, Incolarum frequentia, urbium & pagorum splendore, mercimoniis eminentissima, decem in ambitu milliaria complectitur. Urbes in ea sunt *Middelburgum*, *Veria*, *Elffinga*, & *Arnemuda*. Pagi complures. *Middelburgum* a situ nomen habet, est enim burgus in mediullio Insula. Urbs est ampla publicis privatilque ædificiis, pontibus, turribus, propugnaculis ad usum & cultum egregie exornata: omniumque Zelandicarum urbium primaria, atque emporium Negotiatorum frequentatione celeberrimum. Huic ortum suum debet *Paulus* a Middelburgo Mathematicorum avi sui Princeps: *Nicolaus* quoque *Everhardi* Curia Hollandica primum, postea etiam Mechliniensis Præses, quo in munere obiit anno 1300. Filios is habuit ob singularem eruditionem hoc loco commemorandos, *Petrum Everhardi* doctorem Theologiae, *Everhardum Nicolai* Præsidem Curia Frisica, postea etiam Mechliniensis, *Nicolaum Nicolai* Grudium, *Adrianum Nicolai* Marium & *Joannem Secundum* Poëtam. *Veria* sive *Camperveria* nomen habet atrajectu, qui Zeladis dicitur *Veer*. Muro cincta primum est anno 1300. Ex eo cepit etiam esse Scoticarum Mercium Emporium, *Elffinga* nomen & signum habet lagenæ, Belgis *een Flesche* nominata. Urbs est novitiola, sed potens & mari imperans: ac strenuis piscatoribus, atque exercitatis Naucleris, quos *Pilotas* vocant, referta. *Arnemuda* Middelburgensium est Municipium, & statio navium tutissima. Post *Walachriam* secunda est *Zuabevelandia*, quam alii a tremoribus & concussionibus nomen habere existimant, nos a Bavaris, quorum etiam insignia in ejus Insulae scutis spectantur. Hæc spatiosissimo amœnissimoque versus Flandria ac Brabantia oras tractu exporrigitur, tamen

tametsi paucis abhinc annis maximam jacturam passa, dimidio jam sit angustior. Ab hac avulsa est civitas non ignobilis *Romerswalia*, quam nullis excultam agris, nullis exornatam pomæriis Oceanus undique alluit, ita ut unica salis negotiatione subsistat. In hac urbe Comites Zelandiæ solenne juramentum præstant: quod quum ex more etiam Philippus Hispaniarum Rex esset facturum anno *MDLXXIX*, *Nicolaus de Conflite*, cujus ædibus Princeps excipiendus erat, hos versus ostio suo adscribi jussit:

<i>Vidimus adfucto privatum lumine Solem:</i>	<i>Cæsarea proles, Semideumque decem:</i>
<i>Pallida turbæ no vidimus astra die.</i>	<i>Cuncta refusamus transacti tristia secla,</i>
<i>Vidimus undantis horrendos æquoris æstus</i>	<i>Quod præsens nostrum testificatur opus.</i>
<i>Nos miseros Belgas quum obruit Oceanus.</i>	<i>Sit licet exiguum, sit pro ratione voluntas,</i>
<i>Vidimus est postquam te Gloria nostra a Philippe,</i>	<i>Nil facit ad nostrum parva carina fretum.</i>

In Occidentali vero Insula parte sita est *Goësæ* civitas, ad ostium unum Scaldis quod *Schenge* vocant. Vrbs non tam ampla quam amœna & divitiis pollens, quum unica nunc sit in ea Insula: Cives habet morum humanitate perpolitos, Senatam prudentem. Tertia Insula Zelandiæ cis Scaldim ad Occasum spectans, est *Nortbevelandæ*, in qua Vrbs *Cortgeene*, pagi permulti: tota hæc cataclysmo anni *MDLXXXII* periit: nunc tamen paullatim restituitur. Quarta Insula est *Wolferdyek*, quasi dicas agger Wolfardi: exigua admodum, utpote in qua duo duntaxat pagi sunt. Decem igitur sunt *Zelandiæ* urbes, pagi plures: centum scilicet atque amplius. Incolæ sunt ingeniosi, sagaces, providi. Statura Incolis media. Referunt tamen *Annales* a *Wilelmo Bono Hollandiæ Comite* ad nuptiarum solennia *Caroli Pulchri Franciæ Regis*, adductam fuisse inusitata corporis mole foeminam, natione *Zelandam*, præ qua proceri etiam viri pufiones videbantur: tanto enim erat virium robore, ut bina dolia cerevisia referta ambabus utrinque manibus portaret, quæ singula quadringenta pondo Italica appendebant, trabemque cui attollendæ impares octo viri fuerant, quo vellet, transferret. Navigandi artis sunt peritissimi: *Salem atrum & sordidum* qui ex Occidentalibus regionibus adfertur, singulari artificio excoquunt, magnis atque amplis lebetibus, redduntque ita purum & candidum, ut cum nive etiam certare possit. Rudi *Hispanico* vel *Armorico* adfundunt aquam marinam, decoquunt, colliguntque pro centum salis Hispanici, centum quadraginta quinque libras puriores. Hunc *Salem* per *Galliã*, *Angliã*, *Daniã* & reliquam *Europã* divendunt. Ex re præterea frumentaria, lectilissimoque *Tritico*, atque ex *Rubia*, *Salsamentis*, *Pecorumque* & imprimis *Ovium* copia, magnos quæstus faciunt. In re familiari ac domestica omni elegantia nitidi sunt & expoliti: in rem attentis, in Mercatura industrii, in pauperes benefici ac liberales. Status Politicus Zelandiæ solebat constare tribus Membris, uno Prælato, qui totius Ecclesiastici Ordinis locum supplebat, eratque Abbas *S. Nicolai* Ordinis Præmonstratensis *Middelburgi*. Vno Nobili pro toto Ordine, *Marchione Verensi*: Et Civitatum communitate, quarum præcipuæ eæque a nobis supra memorata: *Middelburgum*, *Zirizæa*, *Verin*, *Flissinga*, *Tela*, *Martimianus agger*, *Romerswaldus* & *Goësæ*. Sed de Zelandia hæc pro loci angustia sufficiant.

Mores:

Opificia:

Mercimonia:

T t

Gelria